

II.2.1

[*Ir*] MCCCCLXXX, indictione XIII, die sabati, octavo mensis aprilis.

Dominus Iacobus^a de Vasoribus, filius quondam domini Iohannis, porte Ticinensis parochie Sancti Vicentii in Prato intus, prior, dominus presbiter Michael de Micheriis^b, filius quondam domini^c Augustini, porte Vercelline parochie Sancte Marie Pedonis, dominus Gabriel de Terzago, filius quondam domini Aluysii phisici, porte Vercelline parochie Sancti Iohannis supra Murum Mediolani, dominus Iohannes de Coyris, filius quondam domini Azonis, porte Vercelline parochie Sancti Nicolai intus Mediolani, dominus Iohannes Ambrosius de Petrasancta, filius quondam domini Iohannis, porte Ticinensis parochie Sancti Petri in Curte Mediolani, dominus Christophorus de Terzago, filius quondam domini Iohannis, porte Ticinensis parochie Sancti Michaelis ad Clusam Mediolani, magister Lafranchus de Sichis, filius quondam domini Antonii, porte Ticinensis parochie Sancti Maurilii Mediolani, suis nominibus propriis, et item nomine et vice aliorum dominorum scolarium et sindicorum^d Scole Conceptionis beate virginis Marie constructe in ecclesia Sancti Francisci Mediolani, pro quibus promisserunt de rato habendo, et de ratificari faciendo etc., omnes unanimes et concordantes etc. pro una parte seu pluribus, et magister Iacobus de Maynis, filius quondam domini Damiani, porte Ticinensis parochie Sancti^e Alexandri in Pallatio Mediolani ex altera parte, voluntarie etc. et alias omnibus modis, fecerunt et faciunt inter sese suis et dictis nominibus infrascripta pacta, conventiones et acordia inviolabiliter atendenda et observanda ut infra, videlicet.

Primo quod prefati domini prior et scolares suis et dictis nominibus teneantur et debeant ac obligati sint dare et^f tradere et ex nunc dederunt et tradiderunt, et dant et tradunt [*Iv*] dicto magistro Iacobo de Maynis, ibi presenti et acceptanti, anchonam construendam et fabricandam pro altare dicte capelle Conceptionis beate virginis Marie iusta designa que dabuntur per dictum magistrum dominum Iacobum priorem et dominos Iacobum de Petrasancta et Filippum de Lafranchonibus ac dominum presbiterum Michaellem de Micheriis^g, amicos communes ellectos per et inter dictas partes suis et dictis nominibus, quam anchonam dictus magister Iacobus de Maynis teneatur et debeat ac obligatus sit facere et fabricare^h iusta illa designa que dabuntur ut supra, et ulterius in illa pulchritudine et intaglio quantum fieri poterit; et, si dicta anchona non fuerit ad laudem prefatorum dominorum prioris et scolarium dicte capelle etc., tunc et eo casu prefatus magister Iacobus teneatur et debeat ac obligatus sit ipsam anchonam refficere suis propriis sumptibus et expensis, et eamⁱ dare et consignare prefatis dominis priori et scolaribus dicte Scole fornitam et bene fabricatam hinc ad festum sancti Michaelis proxime futurum.

Item convenerunt et ut supra quod prefati domini prior et scolares dicte capelle ex una parte, et dictus magister Iacobus de Maynis ex altera, in casu discordie et pro extimatione^j pretii dicte anchone, ex nunc eligerunt et eligunt, videlicet pro parte dictorum dominorum prioris et scolarium dicte Scole illum amicum quem prefatis dominis priori et scolaribus videbitur, et dictus magister Iacobus elegit et eligit ex nunc magistrum Iohannem Antonium de Homodeis, qui una cum eligendo pro parte dictorum prioris et scolarium dicte Scole habeat extimare et declarare de omni et toto eo quod dictus magister Iacobus habere debuerit occasione fabricationis et constructionis dicte anchone, et ulterius de laudatione dicte anchone, in quo

ex nunc dicte partes eligerunt et eligunt in amicos communes ut supra et ut supra et ulterius; in casu quo^k ille amicus eligendus ex parte prefatorum dominorum prioris et scolarium dicte Scolae et dictus magister Iohannes Antonius de Homodeis amicus electus ut supra non essent concordantes in declarando tam de pretio dicte anchone quam de colaudatione, ex nunc dicte partes suis et dictis nominibus eligerunt et eligunt dictum dominum Iacobum de Vasoribus, priorem dicte Scolae, qui interveniat (proterve) ad [2r] declarandum una cum illo cum quo poterit esse concors tam de pretio quam de colaudatione dicte anchone ut supra et ut supra exequere teneantur et debeant eius declarationem et decisionem etc.

Item pro dicto opere conficiendo ut supra et pro parte solutionis dicte anchone, dictus magister Iacobus de Maynis contentus et confessus fuit^l et confitetur se recepisse et habuisse et quod recepit et habuit a prefatis dominis priore et scolaribus dicte Scolae, libras octuagintaseptem et soldos decem imperialium bone monete Mediolani currentis, computatis libris quadraginta sex vel circa imperialium alias numeratis per texaurarium dicte Scolae magistro Petro de Bussero^m pro parte solutionis fabricationis dicte anchone; et quosⁿ denarios dictus magister Iacobus promisit et promittit computare prefatis dominis priori et scolaribus dicte Scolae in pretio ac extimatione dicte anchone, hoc tamen addito et convento quod prefati domini prior et scolares dicte Scolae teneantur et obligati sint prestare omne auxilium, iuvamen et favorem dicto magistro Iacobo pro consequitione dictorum denariorum ut supra eidem magistro Petro numeratorum per dictum texaurarium, salvo quod si dictus magister Petrus fabricaverit aliquid de dicto opere dicte anchone quod dictus magister Iacobus teneatur dictum tale opus accipere, et eidem magistro Petro computare et satisfacere pro dicto opere prout declaratum fuerit de extimatione dicti operis fabricati ut supra^o; et si dictus magister Iacobus non poterit consequi dictos denarios a dicto magistro^p Petro vel oppus factum ut supra quod tunc prefati domini prior et scolares dicte Scolae non teneantur ad aliquid versus dictum magistrum Iacobum de Maynis, et quod omnes expense que fient pro consequitione dictorum denariorum dicti magistri Petri vel dictorum denariorum, quod dicta talis expensa solvatur et solvi debeat per dictos dominos priorem et scolares dicte Scolae et non per dictum magistrum Iacobum.

Item quod dicti domini prior et scolares dicte^q Scolae teneantur et obligati sint^f et ex nunc dederunt et tradiderunt de presenti libras sexagintaduas et soldos decem imperialium^s quas confessus fuit recepisse et habuisse pro parte solutionis dicte anchone fabricande ut supra; [2v] residuum vero dicti operis dicte anchone quod prefatus dominus Augustinus dicte Scolae teneatur et debeat dare et tradere totum illud quod terminabitur per dictum dominum priorem dicte Scolae et dictum magistrum^t Iohannem Antonium de Homodeis amicos communes ut supra^u ad festum sancti Iohannis Baptiste proxime futurum et residuum dicti operis finita dicta anchona.

Item quod dictus magister Iacobus teneatur dare et tradere prefatis dominis priori et scolaribus dicte Scolae ad omnem eorum requisitionem totum illud oppus quod repertum fuerit esse furnitum ad effectum quod fabricari et depingi facere possint ut supra, pena ducatorum XXV dandorum solvendorum etc. ipsi parti^v.

Item etc.

Quare dicte partes promisserunt^w sibi vicissim et ad invicem attendere et observare in omnibus et per omnia prout supra continetur; ac pro predictis per dictum magistrum Iacobum attendendis et observandis ac eius precibus, instantia et mandato extitit fideiussor dominus Iohannes Petrus

de Nava filius quondam domini Marci, porte Ticinensis parochie Sancti Victoris in Curte nova Mediolani.

<...>

^a I iniziale di Iacobus corretta su G. - ^b Micheriis in interlinea su Cavaleriis depennato. - ^c Segue Iustini depennato. - ^d sindicorum in interlinea. - ^e Segue una parola depennata; Alexandrini con ni depennato. - ^f Segue dare depennato. - ^g Micheriis in interlinea su Cavaleriis depennato. - ^h Segue pro illo pretio depennato. - ⁱ Segue infra depennato. - ^j Segue dicte depennato. - ^k Segue prefatus depennato. - ^l fuit in interlinea. - ^m Segue que depennato. - ⁿ Segue libras depennato. - ^o Segue dictus dominus depennato come pare. - ^p Segue Iaco depennato. - ^q Segue scaloreli depennato. - ^r sint in interlinea; segue ex depennato. - ^s et soldos decem imperialium in interlinea; segue imperialium ripetuto. Sexagintaduas et soldos decem imperialium probabilmente aggiunto in un momento successivo alla stesura del testo. - ^t Segue Iacobum depennato. ^u Segue ut supra finita dicta anchona depennato. - ^v pena ducatorum xxv dandorum solvendorum ipsi parti aggiunto successivamente. - ^w Segue attendere depennato. - ^x Segue dicta depennato.